

Suam relaturam. Cujus opere in publico relato et approbato, DD. SS. et OO. Regni determinarunt, ut pro futuro anno 1769, quoniam pro anno currente 1768 ex ratione alterationis systematis Cassae, jam per Comitatum Perceptores, tam quod perceptionem, quam erogationem secundum extradatam sibi per DD. SS. et OO. Regni normam et Schema tractatae, ratiocinium ducere non posset, Regni Exactor omnes illas pecunias, quas et prioribus annum currentem 1768 antecedentibus annis et temporibus incassabat, denuo (non obstante contraria in Generali Congregatione Regni pro quarta et sequentibus Mensis Januarij currentis anni 1768 celebrata determinatione) incasset, et de totali sua perceptione, ac erga Dominorum SS. et OO. Regni dispositionem ac ordinationem fienda, coram DD. SS. et OO. Regni ratiocinetur; censuraque rationum ejusdem cum rationum corpore per DD. SS. et OO. Regni directe Suae Majestati Sacratissimae, ad mentem Articulorum 75. 1681, 115. 1715. et 54. 1741, de anno in annum submittatur. Quod ipsum Suae Majestati Sacratissimae humillime repraesentandum determinatum est.

(Caeteris exmissis)

Originale in Archivo Regni Croatiae.

1770. MENSE FEBRUARIO. VARASDINI.

Articuli Generalis, A. 1770. 1. et sequentibus Mensis Februarii diebus, Varasдини, celebratae Congregationis.

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali eorundem ex edicto et sub Praesidio Excellentissimi ac Illustrissimi Domini Comitiss, Domini Francisci de Nadasd, Perpetui Terrae Fogaras, Generalis Campi Mareschalli, Actualis Intimi Consiliarij et Regnorum eorundem Bani (Titul.), in Libera et Regia Civitate Varasdinensi, pro 1. et sequentibus Mensis Februarii et continuative Mensibus Martio ac Aprili in Anno 1770. celebrata Congregatione conclusi.

Articulus Primus.

De Contributionalis Quanti Auctionis oblato

Sua Majestate Sacratissima, Benigno suo, sub 2. Januarij Mensis, Anni currentis 1770. Vienna Austriae, ad Dominos SS. et OO. Regni emanato Rescripto, clementer exposcente, ut accisas attritasque summi aerrarij vires pro possibilitatis ratione pecuniario succursu Domini SS. et OO. Regni adjuvarent, et pro Anno currente Militari in subsidium gravium altissimi aerarij Regii Necessitatum, ultra et praeter illud, quod pro fundo intertentionis Confiniariae Ba-